Hippocrat

1567

LONDONI

2 (1)

·14·
23·4·10·
·39·
29
·1·2·17·2·34·
q̄ signum.
·21·4·4·
15·7·75·Breviat. Extr.
·37·7·49·
7·

[illegible]
[illegible]·6·19·10·7·5·48·
[illegible]·4·7·9·11·17·28·4·17·75·[illegible]
coaluerit q̄ in [illegible]·6·19
colica passio·4·35·
color·4·40·
comitialis morbus·2·45·5·7·
correcta medicinarum·1·22·
[illegible]·5·41·42·82·
convulsio·2·26·5·1·2·3·5·70·6·9
39·7·10·13·29·
consuetudo·1·17·2·49·50
cordis ~~[illegible]~~ motus·4·17·
cordis vulnus·6·19·
corporis mutatio·4·40·
corporis [illegible]·2·54·
[illegible]·5·46·
[illegible] dolor·6·60·7·59·
calli·p 2·24·
cerebrum·1·14
[illegible]2·23·24·4·36·
[illegible]13·4·29·

B 2

Payne 1/7/11

2

IS

n-

…ius · 1 · 4 · 5 · 7 · 8 · 17 ·
…a · 2 · 3 · 7 · 18 ·
…i · 2 · 21 · 6 · 21 ·
…in …ilis · 5 · 83 ·
…ra · 5 · 20 · 45 · 65 · 6 · 8 · 7 · 21 ·
…ius · 4 · 11 · 7 · 35 ·
…mus · 4 · 6 · 7 · 8 · 7 · 2 · 10 ·
…vina · 1 · 12 · 4 · 69 · 70 · 71 · 72
· 74 · 75 · 76 · 77 · 78 · 79 · 80 ·
· 2 · 83 · 6 · 36 · 44 · 7 · 31 · 32 · 33
~~4 · 35 · 48 · 57 ·~~
~~…~~ · 7 · 45 ·
…. Vide gravida · 5 · 43
17 · 51 · 54 · 58 · 46 · 62 ·
…ura · 5 · 66 · 6 · 4 ·

Finis.
Τῷ θεῷ δόξα · ἀμήν ·

Payne 1/7/11

…TIS
…aren-
…ipti:
…a-

(1)

TIS

aren-

pti:

Payne 12/7/11

(1)

TIS

paren-

ipti:

a-

HIPPOCRATIS
Coi omnis Medicinæ parentis *Aphorismi versibus scripti:*

ita vt non solum propter breuitatem, *verum etiam propter carmen, multò facilius memoriæ mandari, retineriq; melius poßint.*

Per Iöannem Frerum Gormönicestrensem Anglum.

LONDINI,
Apud Gulielmum Seresium.
1567.

CLARISSIMO VIRO D. GVILIELMO CECILIO, EQVITI aurato, serenissimæ reginæ Elisabethæ

à consilijs & scriptis, academiæq; Cantabrigiensis cancellario dignissimo.

PVMICE non satis æquatum cui dono libellum?
Conueniunt summis non nisi summa viris.
Sed tua tam facilem se (præclarissime) virtus,
Nulli non præbens, erubuisse vetat.
Hîc nec parua leges Phœbæi oracula vatis,
Quantumuis paruus sit labor iste meus.
Feci quod potui: tantum sit grata voluntas,
Primus in hoc quando puluere currat equus.
Vatis ad exemplum retrò iam pluribus annis
Materia haud multum vel variante nihil.
Hippocratis siquidem prognostica versibus olim
Nicandrum Græcis composuisse ferunt.
Exiguo sed non spectabis munere mentem,
Quæ te vel summis optat honore parem.

Dignitatis tuæ studiosissimus,
Ioannes Frerus medicinæ doctor.

IOANNES FRERVS ad Lectorem.

PLVRA NE vis paucis? minimo vis maxima libro?
Hæc lege, quid ceßas? quod petis omne feres.
Si quid displiceat, nostrum est: veniamq́ precatur
Quicquid erit vitij quod rude carmen habet.
Sicubi & adiectum quicq̃, videasuè relictum,
Errore haud factum crede fuisse meo.
Vt neq; si paucis quandoq; aut pluribus vsum,
Aut mutata tibi paucula verba legas.
Scilicet hîc Celso, aut sic exponente Galeno,
Aut Græco saltem codice tutus ero.

AD CHARISSIMVM FRATREM Iöannem Frerũ, Medicinæ Doctorem, Thomæ Hatcheri epigramma.

QVI volet, Hippocratis præclaro carmine scriptos
Laudet Aphorismos, aut sine laude probet.
Me, fortuna tibi voluit quem iungere fratrem,
Nec laudare quĩdem, neuè probare iuuat.
Ergò tuos nulla dignabor laude labores,
Quos nemo doctus laude carere velit?
Nemo, vacat culpa, poterit quæcunq; libebit:
Doctus, ab indoctis quod tueatur, habet.
Ipse (fatebor enim) frustrà laudasse viderer,
Fraternum nomen quod minuisse queat.

Hippocratis Coi Aphoriſmorum, *ſiue breuiſsimè dictorum pars prima.*

Aphoriſmus. 1.

VITA breuis, ſed non breuis ars, occaſio præpes,
Tentamentum anceps, iudiciumq; graue.
Officium præſtet medicus, cui pareat æger
Seruiq;: impediant exteriora nihil.

2 Aluus quando fluit, vomitus vel ſpontè mouetur,
Si facilè id poſsis ſuſtinuiſſe, iuuat.
Sicq; artis dum quæris opem, ſi qualia debent
Exierint, rectè eſt: ſin minus, iſta nocent.
Ætates igitur, regiones, tempora, morbos
Reſpice, nam ſemper non patiuntur idem.

3 Ad ſummam veniens habitudo athletica molem
Noxia, cum non quô progrediatur habet.
Vno nanq; ſtatu cum non conſiſtere poſsit,
Eſt in deterius retrò neceſſe ruat.
Vndè fit vt corpus confeſtim ſoluere proſit,
Quò poterit rurſus conuenienter ali.
Sed modus hîc adſit: nimium vacuare periclum
Intentat, refici plus nimioq; nocet.

4 Fert exquiſitè tenuis diſcrimina victus,
Semper vbi morbus longior eſſe ſolet.
Nec minus in morbis, cum non conducit, acutis
Arctior hæc vitæ regula crimen habet.

Vtq; nocet ſummè tenuem diſponere victum:
Sic ſummè plenum multa pericla manent.

5 In tenui victū multum delinquitur ægris,
Quô fit vt affecti ſint grauiore malo.
Illis nanq; cibi plus fert penuria noxæ,
Eſcarum q̃ ſi copia magna foret.
Euenit hoc ſanis etiam. Quarè minus omnes
Implendo ſe errant, extenuando magis.

6 Ancipiti, morboq; graui curatio ſummè
Anceps, & grauis eſt acceleranda tibi.

7 Sunt ſummo ſummi morbo incipiente dolores:
Hîc ſummè tenuis victus habeto locum.
Ex aliquo ſed ſi paulò ſit plenior vſu,
Ipſius morbi ſit tibi norma ſtatus.

8 Nam dum conficitur ſummis cruciatibus æger,
Quàm minimo virtus eſt oneranda cibo.

9 Sed coniecturam facias num tempore tanto
Ægrotus valeat pertolerare famem.
Et nunquid vires minuentur corporis illi,
An morbi poterit vim ſuperare prius.

10 Ac quicunq; tenet morbus, tenuiſsimus eſto
Victus, cum morbi cœperit eſſe vigor.
Qui ſi nec præſens, nec adhuc impendet: abundè
Vt vires conſtent, ſuppeditato cibum.

11 Nec lateat tempus, quando eſt acceſsio morbi,
Tutò vix etenim tunc alimenta dabis.

In queis circuitus verò eſt, ſeruabis idipſum :
Summè nanq; cibis abſtinuiſſe iuuat.

12 Nunc quinam acceſſus, quæ conditioq; futura eſt,
Ex morbo, ac anni tempore ſcire licet.
Circuitus varius poterit quoq; multa notare,
Siuè hic quottidiè, aut quomodocunq; redit.
Indicat haudq; parũ, quod morbo accedere natũ eſt
Exemplum lateris præbeat indè dolor.
Si nanq; edatur primo iam tempore ſputum,
Perbreuis : at ſi extet poſteà, longus erit.
Vrinæ, nec non aluus, ſudorq; docebunt,
Quod morbi ſpatium, iudiciumuè dabunt.

13 Longa ſenes leuiter tolerant ieiunia, deinceps
Ætatis medium qui ingrediuntur iter.
Sed iuuenes ægrè, pueriq; his ægrius, omnes
Ingenio quotquot feruidiore valent.

14 Corpora dum creſcunt innato plena calore,
Ne conſumantur plura alimenta petunt.
Exiguus verò calor accedente ſenecta eſt :
Hic ne extinguatur, conuenit eſſe parum.
Hac cauſa minus ergò ſenes torquentur acutis
Febribus, vt quorum corpora frigus habet.

15 Naturà ventres & bruma, & vere calorem
Intus habent ſummum, fitq; perampla quies.
Tempora perq; iſthæc epulis licet ampliter vti :
Quod ſatis athletæ nos, pueriq; docent.

16 Humidior victus pueris, pariterq; ſüetis
Conuenit, accenſis corporibuſq; febri.

7 Nũ semel,aut bis edant,nũ pauca an multa,videndũ:
Idq; minutatim, morbus vt ista feret.
Plurima sed mori, ac ætati plurima danda:
Summaq; sit ratio temporis,atq; loci.

8 Autumno ac æstate cibus qui sumitur, ægré
Sumitur : apta magis tempora ver, & hyems.

9 Ordine si accessus redeant, nil offer edendum
Antè: decet vacuum corpus habere cibo.

0 Quæ decernuntur, plenè aut decreta fuerunt,
Vt moueas aliquid, vel medicere nefas.

1 Quò vis cunq; rapit naturæ, fertor eôdem :
Idq; haud neglecta commoditate loci.

2 Cocta, haud cruda moue : nec quid, nisi turgeat hu-
Principijs tentes. Quod minus aio frequens. (mor,

3 Non quantum fuerit demptum de corpore refert:
Sed quale,& placidè num ferat æger idem.
Cumq; animus dum deficiat vacuare necesse est,
Id facias, æger si modò robur habet.

4 Morbi principio purgans medicamen acuti
Raró sumendum, nec sine iudicio.

5 Si quod oportebat purgatio sustulit, ægro
Vtilis existit, sitq; molesta nihil.

HIPPOCRATIS APHORISMO- rum, pars secunda.

Aph. 1.

SOMNO per quemuis morbum faciente dolorem,
Signum lethale est: sed minuente, bonum.

Sicuti sublata est vbi deliratio somno,
Ægroto facilis creditur esse salus.

3 Si quis plus æquo vigilârit, læditur inde:
Siq; cadat nimius pectore somnus, obest.

4 Vtq; nimis plenum, nimium sic corpus inane,
In vitio est, quiduis exuperansq; modum.

5 Corpora sponte sua quæ sunt quasi fessa labore,
Morbis haudquaq̃ sunt caritura diu.

6 Cum dolor est partis cuiusq̃ corporis, & non
Percipit hunc æger, mens animusq; labat.

7 Corpora quæ lentè sunt extenuata, requirunt
Paulatim refici: quæ subitòq;, breui.

8 Si vigor a morbo comedenti haud accidat ægro,
Significat nimio membra onerata cibo.
Verùm si abstineat, nec vires colligat, humor
Qui nocet inprimis euacuandus erit.

9 Nam corpus, quod sit corrupto humore refertum,
Quò magis enutris, hoc magis error inest.

10 Purganti quoties vacuas medicamine corpus,
Quò benè res cedat, fluxile redde prius.

11 Pocula nos nutrire valent velocius escis,
Liquida quòd solidis sint magis apta coqui.

12 Morbi relliquiæ, postq̃ crisis acta, manentes,
Sæpé reuersuri fonsq; caputq; mali.

13 Iudicium quibus est ægris iam iamq; futurum,
His ante accessum nox solet esse grauis.
At quæ subsequitur (tristis certamine pugnæ
Deposito) magna ex parte remissa cadit.

14 Venter si excernat vario distincta colore,
Vtile censetur, ni color ille malus.

15 Fauces cum fuerint ægræ, vel tubera carne
Prodierint, aluus conspicienda venit.
Nam si perfusa est bili, tum corpora languent:
Si qualis sani est, corpus oportet ali.

16 Omnimodis debent omnes vitare laborem,
Si quibus ex causis dura ferenda fames.

17 Cum plus quàm satis est sumatur, morbus adurget:
Curandi planè hoc ex ratione patet.

18 Quod tum confertim nutrit, tum tempore paruo,
Paruo secerni tempore sueuit idem.

19 Vitæ ac interitus fallax prædictio, morbus
Spicula si pharetra promit acuta sua.

20 Curſu ſi nimio iuueni fluat impetus alui,
Contrahit hunc demum ſæpè ſenecta ſibi.
Aſt adoleſcenti ſi contra adſtringitur aluus,
Fit plerumque eadem poſt reſoluta ſeni.

21 Quæ ſatis expleri neſcit ieiuna cupido,
Tollitur exhauſto liberiore mero.

22 Morbi quodq; genus pleno ſi corpore fiat,
Demi materiam velle videtur opus.
Si vero tenui conſederit, adijciendum eſt:
Cura & ab oppoſitis quæq; petenda modis.

23 Corpus ſi quando morbis tentetur acutis,
Infrà bis ſeptem fit criſis æqua dies.

24 Quartus quiſq; dies ſepteni creditur index:
Hebdomadæ octauus principium alterius.
Quò fit vt vndecimus ſpectetur denuò, nempè
Quartus hic alterius ponitur hebdomadæ.
Magnam prætereà decimus vim ſeptimus addit,
Quem quartus decimus vndecimusq; notant.

25 Fit plerumq; breuis quartana æſtiua, viciſſim
Longa autumnalis, ſi modò ſubſit hyems.

26 Conuulſis neruis febrim ſuccedere præſtat,
Quàm facta ſpaſmum corripuiſſe febri.

27 Ne nimium fidas non ex ratione leuatis;
Nec metuas, temerè ſi grauiora cadant.
Talia ſunt etenim permulta incerta, diuq;
Durare haud adeò, vel remanere ſolent.

28 Si quibus haud leuis est febris, tabescere corpus
Aut nihil, aut nimium cœpit, vtrunq; malum.
Illud enim morbum longinquum denotat esse,
Corporis hoc planè languida membra probat.

29 Principio morbi moueas quodcunq; mouendum est:
Nam dum consistit, præstat amica quies.

30 Ortus et occasus morbi symptomata parua,
Vis velut hæc augens asperiora dabit.

31 Si cui post morbum nil corpus alatur edendo,
Is magnum debet pertimuisse malum.

32 Nanq; cibi cupidus, si non nutritur eodem,
Fastidire dehinc incipit æger homo:
Sin prius oblatum morbo recreatus abhorret,
Postq; cupit, res huic vertitur in melius.

33 In quouis morbo mens sana cibiq; cupido
Qui offertur, bona sunt: hisq; carere malum.

34 Morbus ad ætatem, tempus, naturam, habitumuè
Conueniens, debet sollicitare minus.

35 Omnibus in morbis medium, parsq; infima ventris
Crassa iuuant: nimium nam tenuata nocent.
Et cum purgandum est per partes inferiores,
Si contabescant, abstinuisse decet.

36 Cui benè corpus habet, vires purgatio soluit:
Cuiq; parit succos esca maligna malos,

Corporibus

37 Corporibus summè grauis est purgatio sanis,
Discrimen sæpè his non mediocre ferens.

38 Ægroti quæcunq; placent alimenta palato,
Præponas paulò deteriora licet.

39 Incidit in morbos citius iuuenilior annis,
Vix quibus & rarò cauta senecta patet:
Quod si quis senibus cœpit diuturnior esse,
Finiri fermè non nisi morte potest.

40 Vt si vel rauci fuerint, vel fortè grauedo
Occupet, haud facile est hæc remouere mala.

41 Qui crebrò ac multum, causa minimeq; patente
Deficiunt animo, hos mors inopina premit.

42 Non vnq̃ poterit vehemens apoplexia solui,
Sed nec quantumuis, absq; labore, leuis.

43 Os cui detracto fit post suspendia spumans,
Ad vitam nulli posse redire datur.

44 Ocyus, à pueris qui sunt vehementer obesi,
Quàm graciles, stygijs præcipitantur aquis.

45 Conducunt puero, membris languore caducis,
Immutata ætas, victus, itemq; locus.

46 Insideant varia gemini si parte dolores,
Alterius sensum maior vbiq; tegit.

47 Dum pus conficitur, febres magis atq; dolores,
Quàm iam confecto pure, superueniunt.

48 Corpus cum nimio cœpit languescere motu,
Illius extemplò fit medicina quies.

49 Aut puer, aut natu grandis, quemcunq; laborem
Insuetis melius sustinuisse valet.

50 Insuetis consueta minus, si haud optima, lædunt:
Mutare interdum conuenit ista tamen.

51 Sed multum & subitò plenum fieri vel inanem,
Frigentem aut calidum, seq; mouere, malum.
Quicquid enim nimium est, naturæ displicet: ergò
Istis paulatim suescere quenq; decet.

52 Si malè succedat cuncta ex ratione gerenti,
Mox temerè haud alia regrediere via.

53 Fusior in iuuene est aluus melior: sene facto
Peius habet, quoniam fit sibi sicca seni.

54 Vt decus eximium fit longa statura iuuentæ,
Sic præmaturo conficitur senio.

HIPPOCRATIS APHORISMO-rum, pars tertia.

Aph. I.

TEmporis innumeros gignit mutatio morbos,
Et quæ temporibus mota repentè cadunt.
Nunc etenim frigus, contrà nunc opprimit æstus:
Cætera stantq; pari, pro ratione, modo.

Naturis

2 Naturis feruens alijs fit amicior æstas,
Naturis alijs congruit acris hyems.

3 Tum quod ad ætates,& morbos pertinet omnes,
Vis magna est victus, temporis atq; loci.

4 Cumq; dies eadem frigus ferat atq; calorem,
Disparis autumni sunt metuenda mala.

5 Austri aures, visumq; hebetant,capitisq; dolores
Gignunt, languorem corporis efficiunt.
Fert Aquilo tussim, faucesq; exasperat, aluum
Comprimit,horrores egelidosq; ciet.
Pectoris inducit pariter laterisq; dolores:
Præditus his semper viribus est Boreas.

6 Si calor æstatem similem veri exhibet, indè
In febribus sudor non mediocris erit.

7 Temporibus siccis febres oriuntur acutæ:
Anni proq; statu morbus ad arma vocat.

8 Cum tempestatum bonus est habitus,leuiores
Morbi nascuntur, iudicijq; boni.
Incerti contrà, & grauiores esse putantur,
Si partes anni non tenuere modum.

9 Lethiferi autumno morbi pariantur oportet:
Tuta sed à morbis corpora vere vigent.

10 Quin etiàm si quos tabes inuaserit, illis
Et grauis autumnus, difficilisq; nocet.

11 Arida ſi ſit hyems, venti ſeptemq; triones,
Et ſi ver auſtros exhibet, ac pluuias:
Lippitur multis, naſcuntur tormina, febres:
Corporeq; hæc molli, fœmineoq; magis.

12 Sin hyemem teneant auſtri, pluuiæq; viciſſim,
Ver autem ſiccum, frigoribusq; rigens:
Fit grauidis dum partus adeſt, diſcrimen abortus,
Suntq; minus firmo corpore quos pariunt.
Tormina non paucis fiunt, ophthalmia multis
Arida, diſcruciat dira grauedo ſenes.

13 At ſi ſicca æſtas Aquilones præbeat, imbres
Auſtrosq; autumnus: proxima talis hyems.
Vox rauca, & tuſsis, capitis dolor, atq; catarrhus
Opprimit, & tabes corpore lenta ſedens.

14 Sin eat autumnus ſpirante Aquilone ſerenus,
Corpus quod molle eſt, & muliebre valet.
Sicca ſed inſtabit reliquis ophthalmia, morbus
Ex atra bili, longa & acuta febris.

15 Summatim & breuiter, ſoles & aperta ſerena
Imbribus aſſiduis ſint meliora tibi.

16 Longæ etenim febres, aluusq; ſoluta per imbres,
Cancri, angina, ſtupor, morbus & ille ſacer.
Per ſicca, arthritis, generans ophthalmia tabem,
Subſtillum lotij, tormina, acuta febris.

27 Spiſsat tempeſtas integrum Aquilonia corpus,
Auditu promptum, mobile reddit idem,

Aſpectu pulchrum, ventremq́ adſtringit, ocellos
Mordet, & offendit pectora læſa prius.
Languidius totum corpus verò efficit Auſter
Humidiuſq́, aures aggrauat atq́ caput.
Pectus reddit hebes, cerebrum vertigine tentat,
Atq́ oculos tardat, cit quoq́ ventris onus.

18 Iam pueri benè vere valent æſtateq́ prima,
Et quos his ætas proxima cunq́ tenet.
Aſt æſtate ſenes, autumni parteq́ prima:
Hyberno iuuenis tempore tutus erit.

19 Non quò non omnis queat omni tempore morbus
Naſci, ſed quia ſic iſta ſubindè cadant.

20 Vere furor, morbusq́ ſacer, fluxusq́ cruoris,
Anginæq́ dolor, bilis & atra premunt.
Vlcera, lepræ, alphi, tuſsis, vox rauca, grauedo,
Tubera, lichenes, articulisq́ dolor.

21 Non æſtas plerisq́ vacat, ſed & inſuper iſtis
Adijcit ardentes continuasq́ febres.
Fit vomitus, venterq́ fluens, ophthalmia, febres
Plures quæ alterna luce redire ſolent,
Quartanæ, obſcenis cancri quoq́ partibus, oris
Vlcera, ſudores: auriculæq́ dolent.

22 Vix quid in autumnum non ex his incidit, atq́
Præterea incertæ, poſt biduumq́ febres,
Inteſtinorum læuor, dolor atq́ lienis,
Iſchias, & tabes, aſthmata, dirus hydrops,
Guttatim excedens vrina, epilepſia, bilis
Nigrior, anginæ, voluulus, atq́ furor,

23 Tuſsim irritat hyems, capitis lumbiq́ dolores,
Quæq́ latus, fauces, viſcera, damna grauant.
Mens corpusq́ ſtupet, morbus lethargicus vrget,
Quiq́ à vertendi nomine nomen habet.

24 Infantes, pueros & adhuc ætate tenella
Exercent vomitus, viſaq́ terrifica.
Aphthæ, humens auris, tuſsis, ventris mediumq́
Inflammatur, abeſt noctis amica quies.

25 Pruritus gingiuarum, conuulſio, febres
Propria ſunt his, quos dentis origo capit.
Deijciturq́ aluus, quod tum malè quando canini
Illorum dentes exoriuntur, habet.
Hæcq́ pericla ſubit quiſq́ vt pleniſſimus, atq́
Aluus cui poterit reddere ſtricta nihil.

26 At lædunt, vbi iam paulum proceſſerit ætas,
Lumbrici teretes, glandulæ, & aſcarides.
In ſpina vertebrarum inclinatio, ſtrumæ,
Aſthmata, verrucæ, tubera plura, lapis.

27 Ex ijſdem multi pube incipiente, febresq́
Sunt longæ, & ſanguis naribus exiliens.

28 Diſcrimenq́ omnis puerilis ſuſtinet ætas,
Quando quater denos traxit in orbe dies,
Septem vbi tum menſes, ſeptẽ & numerauerit annos,
Hincq́ vbi pubeſcent corpora flore nouo.
Et ſi quem morbum neq́ pubertas, neq́ prima
Menſtrua ſuſtulerint, longior eſſe ſolet.

29 Fit iuueni tabes, & ſputum ſanguinis, atq́
Præterea morbus maior, acuta febris.

Poſt

30 Post hanc ætatem cholera, ac insania, febres
Ardentes, alui profluuiumq́; cadit.
Pulmonis laterumq́; dolor, lienteriæq́;,
Asthma, hæmorrhoides, tormina, inersq́; sopor.

31 Spirandi verò vitium commune senectæ est,
Vrinæ mala, nox peruigilata grauis.
Renibus, articulisq́; dolor, nerui resoluti,
Pruritus, habitus corporis atq́; mali.
Auriculas, nares, oculos lædentia multa,
Rheuma, & vertigo, venter & vltrò fluens.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM, pars quarta.

Aph. 1.

MAteriam grauidis turgentem demere quarto
Mense potes, sextus dum sibi mensis abit.
Parcius hisce tamen. Non primis mensibus inq́;
Tutò, aut postremis euacuare licet.

2 Talia si purgans medicina è corpore ducit,
Qualia si fluerint sponte, iuuare queant,
Vtile censetur: sed si contraria manant,
Est vt nos eadem contineamus opus.

3 Si quod oportet abit per purgatoria, rectè est:
Scilicet haud ægrè quis, grauiterue feret.

4 Ventri qui suprà est purgando conuenit æstas,
Inferiori autem bruma fit apta magis.

5 Nulla sub æstiuum purgans medicina, vel ante
 Sat tutò est nobis accipienda canem.

6 Quos graciles vomitus exercent absq; labore
 Suprà purgentur, si nihil obstet hyems.

7 Ad vomitum sed difficiles plenosq; per ima
 Si non est æstas, euacuare decet.

8 Præcipuè tamen hos caueas qui tabe laborant:
 Sursum nil istis ducere nempè licet.

9 Bili infrâ vehemens purgatio conuenit atræ:
 Flaua at per superas, quas petit, ito vias.

10 Cum peracutus erit morbus, si turgeat humor
 Illicò purgandum est: fert mora nanq; malum.

11 Per ventris medium quibus intestina minora
 Torquentur, coxis exoriturq; dolor,
Quem nec ab auxilijs, longo nec tempore tolli
 Posse vides: illis aridus instat hydrops.

12 Intestinorum si quis læuore tenetur:
 Suprâ, cum sit hyems, euacuare malum.

13 Helleboro vsurus qui non vomit absq; labore,
 Huic prius vberior sit cibus, atq; quies.

14 Ast à veratro, nulli somnus requiesue
 Ex vsu est: potius membra mouere iuuat.
Hoc ita perspicitur: nam cum quis nauigat æquor,
 Turbari corpus sic agitando liquet.

Ergo

15 Ergo vt veratrum ducat magis, vtere motu:
Vt vim deperdat, sit tibi summa quies.

16 Sed sanis spontisq; suæ non absq; periclo
Helleborus capitur: spasmata nanq; facit.

17 Quem sine febre cibi capiunt fastidia, cuiq;
Ventriculi dolor, ac oris amaror adest,
Vertigoq; caput tentat: medicaminis ille
Supra per vomitum reijcientis eget.

18 Cum dolor est aliquis supra præcordia: sursum
Æger purgandus, si nihil obstet, erit.
Sin subter septum transuersum creditur esse,
Tunc ea quæ purgant inferiora dabis.

19 A medicinali potu sitis arida monstrat
Quod satis est tolli: nilq; sitire, parum.

20 Vermina cum citra febrem cruciatibus vrunt,
Lumborumq;, genu cum grauitate, dolor:
Hîc medicamento purgante per inferiora
Æger vt vtatur, significabit opus.

21 Sponte fluens aluus nigro similisq; cruori
Pessima, seu febris, seu tibi nulla siet.
Deteriorq;, mali quò plures ijce colores,
Ni medicamentum det minus esse mali.

22 Bilis cui morbo se ostendit nigra recenti
Infrâ vel suprâ; mortis aperta nota est.

23 Cui verò alterutrum se prompsit, si vel acutis
Morbis, vel longis extenuatus erit.

Siuè graui accepto per corpus vulnere, ſiuè
Quomodocunq; aliter, poſt perit ille diem.

24 Ex atra quoties naſcantur tormina bile,
Spes reliqua hoc caſu nulla ſalutis erit.

25 Qualiſcunq; per os ſanguis fluat, exitioſum eſt:
Inferius ſi ſint reddita nigra, bonum.

26 Ortis torminibus veluti carnoſa per aluum
Deijciens, morti proximus arguitur.

27 Copia cui fluxit per febrem ſanguinis, aluus
Humida fit vires dum rediere cibo.

28 Auxilium ſurdis adfert deiecto bilis:
Cum tenet hæc, ſi poſt ſurda ſit auris, abit.

29 Febriles capiant ſexta ſi luce rigores,
Sunt perdifficilis, iudicijq; mali.

30 Quæ per circuitum fit febris, tempore eodem
Cras rediens, longa haud ſoluitur absq; mora.

31 Abſceſſurum aliquid maxillis, articulisue
Signum eſt, ſi febri corpora laſſa dolent.

32 Si reualeſcenti quæ pars affecta dolore eſt,
Hac ipſa absceſſus parte moleſtus erit.

33 Siq; fatigari membrum ſibi ſentiat vllum
Sanus, ibi ſedem morbus habere volet.

34 Febrili ſubito qui ſuffocatur ab æſtu,
Is, ſibi ni fauces intumuere, perit.

35 Corporis hic&que habitu perit, & cui febris eodem
Torquetur ceruix, vt nihil indè voret.

36 Si quem febris habet, ſudores tertius illi
Adferat, ac quintus, ſeptimus atque dies,
Nonus, & vndecimus, quartus decimuſque, & ab illo
Tertius: his virtus maxima ritè datur.
Ordine ſuccedunt pariter vigeſimus vnus,
Et ſupra hunc ſextus: ſunt nota nanque boni.
Poſt illos vnus verò & trigeſimus, vltra hunc
Tertius: hiſque alij vim tribuere parem.
Sin ſecus eueniat, morbi longi atque laboris,
Ac recidiuæ etiam concitat indè metum.

37 Febribus intentat gelidus tibi ſudor acutis
Interitum: leuibus, tempora longa mali.

38 Præterea ſudor quacunque eſt parte futurus,
Hac ipſa morbi vim reſidere docet.

39 Ac vbicunque calor, frigusue moleſtius eſſe
Incipit, hic quærit morbus habere locum.

40 Tum ſi quæ toto mutatio corpore ſurgit,
Et nunc membra calor, nunc malè frigus habet,
Ex alioque alius color eſt, violentia morbi
Temporis in longum porrigitur ſpatium.

41 Plurimus à ſomno ſudor, ſi cauſa latebit,
Arguit audacem plus ſatis eſſe gulam.
Corpore ſi verò hoc ipſum contingat inani,
Demendum eſt aliquid quod ſupereſſe liquet.

Multus

42 Multus & aſſiduus ſudor ſi frigidus exit,
Longinqui morbi eſt: ſi calidusq́ꝫ, breuis.

43 Continuæ febres ſi quæ vehementius vrgent
Tertia cum lux eſt, dura pericla ferunt:
Sin quocunq́ꝫ modo ſe fortè remiſerit ardor,
Diſcrimen nullum quod vereare ſubeſt.

44 Quos longæ exercent febres, tubercula fiunt
Ijs, vel ab articulis neſcit abeſſe dolor.

45 Hæcq́ꝫ vbi contingunt, ingeſti corpora conſtat
Immenſa nimium mole grauata cibi.

46 Si nec omittenti febri rigor incidat, ægri
Viribus infirmis, imminet interitus.

47 Talis cumq́ꝫ tenet febris, nigra ſputa, cruenta,
Fœtida, tum bilis tincta colore, mala.
Quæ vero eduntur benè, ſunt bona: quæq́ꝫ per aluum,
Atq́ꝫ per vrinæ ſunt abitura vias.
Ex iſtis ſed quando locis quid inutile prodit,
Ægrum nec releuat, noxa fit indè grauis.

48 Febreq́ꝫ continua ſi intus ſitiensq́ꝫ calensq́ꝫ
Extra frigeſcat, nil mage peſtiferum.

49 Siq́ꝫ ſupercilium, nares, oculi, labiumue
Sunt peruerſa, febri nec datur vlla quies:
Iamq́ꝫ per infirmas vires quis non videt, aut non
Audit, ſpes vitæ nulla ſubeſſe poteſt.

50 Vt nec ei, cuicunq; statu cum febris eodem
Spirandi labor est, desipiensq; caput.

51 Abscessus inter febres qui non citò sani
Fiunt, longinqui sunt documenta mali.

52 Quouis in morbo lachrymis se tradere spontè
Nil nocet: inuitè flere pericla notat.

53 Hærens ad dentes humor quis glutinis instar
Per febres, morbum nuntiat esse grauem.

54 Si quibus exardens febris sit & arida tussis
Irritans modicè, hos non premit alta sitis.

55 Febres ex adenum quæcunq; tumoribus ortæ
Pestiferæ, si vnum transiluère diem.

56 Febre laboranti manans è corpore sudor,
Febri nequicq̃ deficiente, malus.
Tempus enim morbi longum denuntiat, atq;
Quod nimia partes humiditate madent.

57 Tollitur & rigor ac immoti tensio nerui,
Febris si post hæc fortè superueniat.

58 Immodicis febrim populantem corpora flammis,
Horror quis subitus dissoluisse potest.

59 Simplex alternis febris rediuiua diebus,
Septem circuitus præterijsse nequit

60 Auribus ex febre obtusis, aut sanguinis imber
De nare, aut venter fert resolutus opem.

61 Imparibus febris ni ſit finita diebus,
Poſt nec opinanti ſæua ſubindè redit.

62 Septemq́; antè dies morbus ſi regius vrget,
Cum prior inuaſit febris acuta, malum.

63 Quottidie ſi contigerint cum febre rigores,
Quottidiè integro corpore febris abit.

64 Septimo at arquatus, cum febris torqueat ægrum,
Vel nono accedens, vndecimouè die,
Vel decimo quarto, ſi ſint præcordia dextra
Mollia, ſat tutus: ſi capit antè, grauis.

65 Ventriculi verò vehemens in febribus æſtus,
Cumq́; hoc cardiacos eſſe, pericla notat.

66 Terribile eſt neruos diſtendi, & viſcera circùm
Affligi, ſi quem febris acuta tenet.

67 Necnon à ſomno cœpiſſe timere, vel æquè
Neruos diſtendi, non nequit eſſe malum.

68 Per febreſq́; malum eſt eliſus ſpiritus, iri
Diſtentum neruos nam tibi teſtis erit.

69 Craſſior in febri, perpauca, refertaq́; grumis
Vrina, hinc tenuis multaq́; facta iuuat.
Talis enim fermè morbis ineuntibus exit,
Poſtuè breui, matulæ quando quid ima petit.

70 Perturbata quibus iumenti inſtarq́; videtur
Vrinæ, his capitis vel dolor eſt vel erit.

Morbi

71 Morbi quando dies index fit ſeptima, quarta
Nubes apparet rubra, notæq; pares.

72 Eſt vrina nocens alba, & diluta: magiſq;
Si malè tunc ægrum fortè phreneſis habet.

73 Murmure ſi quibus incluſo præcordia turgent,
Exhinc lumborum diſcruciatq; dolor:
Humida eis aluus fiet, ni erumpere flatus
Aut vrina poteſt. Hæcq; vbi febris adeſt.

74 Spes vbi ad articulos abſceſſum oſtenditur iri,
Vrina abſceſſu liberat alba, frequens,
Craſſaq;: nimirum qualis cum febre moleſta
Quarto nonnullis incipit eſſe die.
Quòd ſi tum ſanguis forſan de naribus exit,
Languidus exiguo tempore liber erit.

75 Sanguis in vrina vel pus ſi cernitur eſſe,
Veſicam aut renes vlcus habere liquet.

76 Hæc ſi inſtar quid carnis habet, velutiue capillos
Craſſaq; deſcendit, ren ibi cauſa mali.

77 Craſſior at ſi contineat quaſi furfura quædam,
Veſicæ ſcabies eſſe moleſta ſolet.

78 Meiere contingit cuicunq; repentè cruorem,
Huic ruptam venam renibus eſſe docet.

79 Vrinis quoties ſubſidet arena, lapillum
Perſpicuum eſt miſeris diſcruciare modis.

80 Quod si vel grumi, vel sanguis profluat, atque
Præterea vrinæ sit via difficilis,
Pecten & ima aluus, perinæum condoleatque:
Esse in vesica colligitur vitium.

81 Cumque exit sanguis, pus, squamæ: significantur
Vlcera vesicæ, si sit odore graui.

82 Tubera nascuntur cuicunque foramine penis
Si suppurârint exierintque, bonum.

83 Noctu quæ facta est vrinæ copia, monstrat
Suppressum ventrem reddere posse parum.

HIPPOCRATIS APHORISMORUM, pars quinta.

Aph. 1.

ALbi purgantes veratri pectora succo
Si capiat spasmus, funeris author erit.

2 Neruorumque omnis tristi distentio nata ex
Vulnere, res magni plena timore mali.

3 Largè si sanguis profluxit, subsequiturque
Hæc, vel singultus: vix medicina iuuat.

4 Nec minus horribile est, si perpurgatum & inanem
Alterutrum oppressit, ariditate nocens.

5 Conuulsis moritur neruis, cuicunque repentè
Torpuerit nimio lingua retenta mero:

Ni cadat in febrim, vel cœpit tempore eodem,
Quo ſeſe ſoluit crapula, voce frui.

6 Quarto, aut ante diem quartum perimit rigor: iſtum
Si effugias, fiet non dubitanda ſalus.

7 Pubeſcenti oriens epilepſia, mobilis: anno
Quinto & viceno vix quid habebit opis.

8 Cui dolor eſt lateris, bis ſeptem ni ille diebus
Nonnihil expuerit: pus generatur ibi.

9 Fit decimo octauo tabes ætatis ab anno,
Dum fermè ſeptem luſtra peracta fient.

10 Vertitur angina in pulmonem, quæ citò finem
Accipit, & ſeptem conficit ante dies.
Quod niſi contingit, tempusq; hoc præterit æger,
Suppurare aliqua eſt parte neceſſe malum.

11 Tabentis ſputum graueolens dum imponitur igni,
Perniciem oſtendit, depereunte coma.

12 Cumq; diu hoc morbo traxit, labente capillo
Aluus ſi fuſa eſt, mors properata ſubit.

13 Spumantem ſi quis profuderit ore cruorem,
Pulmonum vitio ſic cecidiſſe patet.

14 Correptus cùm profluuio ſit tabidus alui,
Cunctis inuiſum mortis obibit iter.

15 In lateris morbo cui ſuppuratio facta eſt,
Atq; exin decies quattuor ante dies

Suprà purgetur, ſaluum docet eſſe futurum:
Quod niſi fit, tabes lenta deindè ſubit.

16 Qui nimius calor eſt, corpusq́; effæminat atq́;
Neruos emollit, mentem hebetatq́; ſimul.
Sanguinis ac riuos, animi fert deliquiumq́;:
Vndè & ad extremum mors violenta rapit.

17 Diſtendit frigus neruos, infertq́; rigorem,
Nigritiem, horrorem concitat inq́; febri.

18 Oſsibus & neruis, cerebro, dorſiq́; medullæ,
Dentibus aduerſum eſt: adiuuat iſta calor.

19 Frigida calfieri debent, tantummodo demptis
Vndè fluit ſanguis, ſanguis & vndè fluet.

20 Inſuper infeſtat præmordax vlcera frigus,
Duramq́; & nigram cogit habere cutim.
Diſtendit neruos, & ſuppurare dolorem
Non finit, hinc horror naſcitur, atq́; tremor.

21 Nonnunq̃ ſed ſi rigor abſq́; ſit vlcere, necnon
Plenus ſi iuuenis, ſolq́; leone manens:
Frigida lympha poteſt prodeſſe infuſa, calorem
Quòd reuocet: propriè ſic iuuat iſta calor.

22 Suppurare calor faciens dat ſigna ſalutis,
Quamuis non omni hoc vlcere præſtet idem.
Emollitq́; cutim, extenuat, lenitq́; dolorem,
Diſtentos neruos prærigidoſq́; fouet.
Horrores, capitis grauitatem ſoluit, & oſſa
Si quæ ſint fracta aut nuda iuuare poteſt.

Vlcera

Vlcera item capitis, partesq; à frigore victas,
Quin & ad ossa vlcus quod penetrando vorat.
Vesicæ prodest, sedi, vuluæ, atq; pudendis.
Vtilis his calor est, frigus vbiq; nocet.

23 Sanguine fluxuro aut alicundè fluente, propinquis
Partibus affundi frigida debet aqua.
Inflammenq; recens ad rubrum subq; cruentum
Tendens, admota hæc frigida sæpè leuat.
Denigratq; vetus, sacroq; medebitur igni
Vlceris experti: cui secus officiet.

24 Frigida ceu nix & glacies non lædere pectus
Non possunt, tusses efficiendo graues.
De venis multum cogunt manare cruoris,
A cerebroq; frequens hinc pituita fluit.

25 Articuli tumidi, podagra, & distentio nerui
Vsu soluuntur frigidioris aquæ.
Tollitur indè dolor quicunq; est vlceris expers:
Vincitur à modico nanq; stupore dolor.

26 Quæ citò calfieri & citò refrigescere nata est,
Ex leuibus constat partibus vnda magis.

27 Immensa quicunq; siti de nocte premuntur,
Somno si posśint tradere membra, iuuat.

28 Menstrua suffitis ducuntur odoribus, atq;
Ni caput hi peterent, commoda plura darent.

29 Suprà scriptus est par. 4. Aph. 1.

30 Prægnans si mulier morbo tentetur acuto,
Hanc facilè absumit vis ea tanta mali.

31 Incisa grauidæ vena patiuntur aborsum,
Et magè, si partus grandior intus erit.

32 Fæmina puniceum si eiectat ab ore cruorem,
Succurrunt quoquo menstrua cita modo.

33 Menstrua quotquot habent casu suppressa, leuantur
Sanguine per nares exiliente foras.

34 Versatur magno grauida in discrimine partus,
Absque modo si aluus sit resoluta sibi.

35 Ægrè parturiens quæcunque, locisue laborans
Sternutamenti robore sentit opem.

36 Tempore non solito profusi deque colores
Menses, purgari corpora velle docent.

37 Si grauidæ subitò cuiuis macrescere mammæ
Cœperunt, partum sustinuisse nequit.

38 Si qua ferat geminos, macrescente vbere læuo,
Fæmina: mas, dextro deficiente, perit.

39 Si quæ nec peperit, grauida nec gestat in aluo
Lac habet, huic sisti menstrua scire licet.

40 Suffusæ verò muliebres sanguine mammæ,
Præscia venturi signa furoris erunt.

41 Sumpto post cœnam mulso, si tormina sentit
Fæmina, conceptus fit manifesta nota.

42 Si grauidæ mas intus erit, bonitate coloris
Imbuitur, sibi quem sæpè puella negat.

43 Eueniens grauidis morbus qui dicitur ignis,
Diſcrimen vitæ his exitiale parit.

44 Quæ tenuis nimium eſt, partũ dabit illa bimeſtrem,
Corpus ni melior mox habitudo capit.

45 Quæ fœtum quadrata bimeſtrem ſiue trimeſtrem
Elidit, nec ſit cognita cauſa ſatis:
Illi ſunt vteri pleniſsima vincula muci,
Rumpũturq́ ſuo pondere preſſa graui.

46 Quæ non concepit mulier vehementer obæſa,
Illius omentum comprimit os vteri.
Quocircá & ſobolis deinceps ſpes omnis adempta eſt,
Ni gracili fuerit corpore viſa prius.

47 Suppurata vteri ſi pars ſit proxima coxæ,
Præſtat ibi reliquis emmotõn auxilijs.

48 Conceptus fœtus ſi fæmina, parte ſiniſtra:
Si mas eſt, vteri dexteriore iacet.

49 Sternutamento poterunt exire ſecundæ,
Arctè ſi nares & ſimul ora premas.

50 Maxima ſub mammis defixa cucurbita, menſes
Fæmineos ſi vis ſiſtere, præſtat opem.

51 Clauditur os vteri tangenti mollius, extent
Cum rata fœcundi munera coniugij.

52 Languet, ſi grauidæ ex mammis lac profluat, infans:
Ijſdem qui duris, noſcitur eſſe valens.

53 Nulla suum prægnans elidit fæmina partum,
Vbera ni fuerint extenuata prius.
Quòd si durescant, non terret abortus: at indè
Fit genibus, coxis, luminibusue dolor.

54 Est quibus os vteri durum, se contrahit arctè,
Æque ac si sobolis spes sibi certa foret.

55 Febre laborantes grauidæ, nimiumq; calentes,
Partum vel perdent, difficilemue dabunt.

56 Si fluxum sequitur muliebrem tensio nerui
Defectusq; animi, non erit absq; metu.

57 Profusi menses morbos in corpore gignunt,
Suppressiq; vtero multa molesta cient.

58 Aut alui, aut vteri leuis inflammatio, pusue
Renibus, vrinæ molle retardat iter.
Hepar vti nimio quoties exarserit æstu,
Os ibi singultu concutiente sonat.

59 Quisquis scire cupis, quæ non conceperit, vllo
Num fieri possit pignore læta parens,
Vestibus obductæ facito suffimina: siq;
Ad nares odor it, crimine, crede, vacat.

60 Prægnanti menses si quo prius ordine currunt,
Intus quod geritur, ritè valere nequit.

61 Conceptus, odiumq; cibi, mensesq; retenti
Testes sunt: febris, ni capiatue tremor.

62 Frigida vis vteri steriles, quòd spissior æquo est,
Efficit: humenti semen inersq; iacet.
Siccior, immodicèq; calens sua semina perdunt:
Temperies media est sola futura ferax.

63 Deq; viris itidem, rari si corporis, aut si
Prædensi, calidi, aut frigidioris erunt.
Languet enim semen, fertur vel spiritus extrà,
Transmitti vt nequeat, concalefitue minus.

64 Lac sumptum cuicunq; dolet caput, âcre venenũ est:
Quorum & præcipiti corpora febre calent,
Siue per hanc creuit sitis, aut præcordia turgent,
Seu bili venter, sanguine siue fluit.
Vtile fit phthisicis tamen, & qui febre tenentur
Longa & difficili, pertenuesq; fouet.

65 Vlcera si tumeant, insania nulla timeri,
Tensio neruorum nec nisi rara potest.
Sunt quibus à tergo hæc, subitó recidente tumore,
Tensio neruorum his accidit atq; rigor.
Vt quibus antè: furor, vomicæ, laterisue dolores,
Torminaue interdum, si tumor ille rubet.

66 Prauis & magnis, nullo apparente tumore,
Vulneribus rectè fidere nemo velit.

67 Mollis quisq; tumor fertur tutissimus esse:
Crudus permagno non venit absq; metu.

68 Postrema capitis natos de parte dolores
Venula quæ recta est frontis aperta leuat.

69 Incipit ex lumbis, per dorsumq́ ad caput vsq́
Pertingit rigoris, quo capitur mulier.
Posteriore magis, q̃ corporis anteriore
Assolet hic itidem surgere parte viris,
Qualia sunt femora & cubiti. Nota nanq̃ caloris
Rara cutis, notat hanc pars quoq́ plena pilis.

70 Quos quartana capit, non hos conuulsio tangit:
Illa, hæc si tetigit, mox veniente fugit.

71 Cui sicca & squalens, absq́ is sudore peribit:
Contrà, cui laxa est, atq́ soluta cutis.

72 Omnes icterici flaua qui bile redundant,
Subiecti carò flatibus esse solent.

HIPPOCRATIS APHORISMOrum, pars sexta.

Aph. 1.

ALuinis longo iam tempore, si modo ructus
Eueniant acidi, non solitiq́, bonum.

2 Humentes nares, liquidum quoq́ semen ab ortu,
Infirmi planè corporis indicia.

3 Longis torminibus stomachi fastidia nunq̃
Non mala, præcipuè si tibi febris adest.

4 Vulnera quæ glabra ex omni sunt parte, maligna:
Vllumq́ admittunt vix genus auxilij.

5 Pectoris, aut costæ, membri alteriusue dolores
Num multùm infestent, mente tenere decet.

Renum,

6 Renum, & vesicæ vitijs ætate senili
Curandis, vix quem dat medicina locum.

7 Non adeò ventris sublimi parte dolores,
Quàm qui se condant interiore, premunt.

8 Non citò sanescunt quæcunq; in corpore fiunt
Vlcera, si prior his creuit acerbus hydrops.

9 Pruritum haud faciunt lata exanthemata multum,
Atq; his subsidij fertur ab arte minus.

10 Cui dolor est capitis, per nares, osue, per aures,
Pus, aqua, vel sanguis fert citò fusus opem.

11 Qui renum vitijs, quiq; atra bile laborant,
His hæmorrhoides commoda multa ferunt.

12 Oscula venarum solita effudisse cruorem
Omnia si claudas, fit phthisis hinc, vel hydrops.

13 Singultus quemcunq; capit, super huic veniente
Sternutamento, desinit esse grauis.

14 Plurima correptis vitio languoris aquosi,
In ventrem è venis fusa medetur aqua.

15 Aluus multorum spatio resoluta dierum,
Supprimitur vomitu sponte sequente sua.

16 Pulmonum, laterisue dolor quemcunq; fatigat,
Alui profluuio corripiente, malum.

17 Lippum si fieri quenq; fortè accidit, aluus
Humida succedens vtilis esse potest.

18 Vulnera veſicæ, cordisue, baſisue cerebri,
Septi tranſuerſi, ventriculiue ſinus,
Vnius ex inteſtinisue minoribus alui,
Aut iecoris, medica deſtituuntur ope.

19 Non os, aut chondrus, non aut præputia, nerui, aut
Buccæ pars tenuis vulnere læſa coit.

20 In ventrem ſanguis quoties confluxit, ibidem
In pus, aut grumos illicò verſus abit.

21 Aut varix ortus, fuſusue per oſcula ſanguis
Venarum, ex atra bile furore leuat.

22 A dorſo ad cubitum tendentes quosq; dolores
Inciſa in cubito tollere vena poteſt.

23 Triſtitia atq; timor longo ſi tempore durent,
Ex atra morbum bile ſubeſſe monent.

24. Decimi octaui pars eſt præcedentis

25 Extrà qui ſacer ignis erat, ſi vertitur intrò,
Valdè anceps: contrà, tutior eſſe ſolet.

26 Poſt febrem ardentem ſi cui tremor occupet artus,
Succedit geminum mens aliena malum.

27 Si quem impleuit hydrops, puris multumue coiuit,
Mortiferum eſt quoties effluat omne ſimul.

28 Accidit eunuchis raró nodoſa podagra,
Dedecori exponens càluitiumue caput.

29 Nec podagræ mulier quæcunq; doloribus ardet,
Menſibus omninò ni caret illa ſuis.

30 Hæc pueris eadem multò minus accidit, antè
Cognita q̃ ſibi ſit pernicioſa venus.

31 Balnea, fomentum, purgatio, ſectio venæ,
Vinaq; nonnunq̃ lumina læſa iuuant.

32 Balba quibus tenero funduntur verba palato,
Aluus ſi fluit his, vſq; ſoluta fluit.

33 Ex ſtomacho eructant acidum quicunq; vaporem,
Vix videas lateris poſſe dolore capi.

34 Depilis à magno eſt immunis varice: qui ſi
Exoritur, creſcit denuò cæſaries.

35 Si quibus intumuit ſuffuſa venter ab vnda,
Accidat & tuſsis, ſpem negat illa bonam.

36 Prodeſt & vinum ac internæ ſectio venæ,
Vrinæ ſi quid ſiſtere cœpit iter.

37 Terribilis non eſt orto, in ceruice tumore,
Angina: it morbi vis ibi nanq; foras.

38 Occultos præſtat tibi non attingere cancros,
Ægrum ne id citius cogat obire diem.
Viuere nam plures illis conceditur annos,
Queis nulli medicas appoſuere manus.

39 Diſtendi neruos & ſingultire viciſſim,
Hoc & quod nimium eſt efficit, atq; parum.

40 Si dolor est circa factus præcordia, nullo
Æstu: succedens liberat indè febris.

41 Abdita quando tegit se suppuratio, tecta est
Vel propter puris, crassitiemue loci.

42 Si cui morbus adest celsa curandus in aula,
Huic durum fieri est exitiale iecur.

43 Quosq; lienosos prenderunt tormina, mox ijs
Inuersis in aquam qua tumet alba cutis,
Læuibus aut intestinis retinentibus ægrè:
Subtrahere interitu vix medicina potest.

44 Voluulus vrina compressa, ni illicò febris
Hanc moueat, septem conficit ante dies.

45 Ossis & abscessus, caua fitq; exindè cicatrix,
Infra annum si sint vlcera sana minus.

46 Impubes fiunt quicunq; ex asthmate gibbi,
Tussiue, his celerem vis parat ægra necem.

47 Vtile si credas purgare, aut tundere venam,
Summè opportunum ver tibi tempus habe.

48. Hic 43 proximi pars fuit.

49 Affectus podagræ, se quando remiserit ardor,
Quisq; quater denos desinit ante dies.

50 Ex cerebri accepto grauiori vulnere febris
Nascitur, & vomitus bilis ab ore fluit.

51 Sanis cum subitus capitis dolor accidit, atq;
Tum stupidi stertunt, ac sine voce manent:

Omninò

Omninò ſeptem perituros crede diebus,
Mox ni interueniens ſoluerit iſta febris.

52 Mortiferum eſt quoties oculorum appareat album,
Ni fluor hoc alui, aut pharmaca ſumpta dabunt.

53 Tutior adiunc̃to fit deſipientia riſu:
Seria vix vlla vincitur artis ope.

54 Sunt præſaga mali ſuſpiria ſaucia luc̃tu:
Si malè cum febri morbus acutus habet.

55 Vere ac autumno manuumq́ pedumq́ dolores
Ex magna ſeſe parte mouere ſolent.

56 Omnibus in morbis ex atra bile creatis,
Humores illuc decubuiſſe malum:
Corpore vbi toto reſolutio fiat, vbiue
Spaſmus, vel furor, aut lumina cæca fient.

57 Iſtaq́ neruorum reſolutio maximè ab octo
Luſtris, ad bis ſex luſtra peracta capit.

58 Procidat omentum ſi quandò abdomine rupto:
Putreſcit, quamuis illicò reſtituas.

59 Longa infeſtatis coxendice, mota ſubindè
Coxa loco, multa hac mucida parte notat.

60 Et ſic affectis crus contabeſcere oportet
Et claudum fieri, ni ferat ignis opem.

HIPPOCRATIS APHORISMO-
rum, pars ſeptima.

Aph.1.

PRæcipiti morbo ſi extremæ corporis algent
Partes, ſuſpicio naſcitur indè mali.

2 Os tibi corruptum magno exercente dolore,
Suprà ſi caro ſit liuida, terror ineſt.

3 Poſt vomitum vel ſingultus, vel lumina rubra
Permagni haud fiunt absq; timore mali.

4 Et poſt ſudorem cœpiſſe horreſcere quicq̃,
Sortitum eſt inter non bona ſigna locum.

5 Mania cui grauis eſt, vel hydrops vel tormina profũt,
Vel ſi permotus mente ſit indè ſua.

6 A longis morbis ſyncerum excernere, necnon
Faſtidire cibum, tuta cũiq; minus.

7 Horror poſt nimium vel deſipientia potum,
Signa ferunt magni non dubitanda mali.

8 Ex intus rupta vomica, vires reſolutæ,
Defectusq; animi naſcitur, & vomitus.

9 Sanguinis à fluxu ſeu mens delira ſequuta eſt,
Seu diſtendatur neruus, vtrunq; malum.

10 Vtq; inteſtini hæc tenuis crudelia morbo:
Sic & ſingultus, ſic vomitusq; nocet.

Poſt

11 Post lateris vitium pulmo inflammatus, ad ipsum
Venisse infirmum denotat interitum.

12 Et post pulmonis vitium si insania fiat,
In magnis ægrum nuntiat esse malis.

13 Pessima neruorum rigor aut distentio signa,
Feruor vbi magnus corporis antè fuit.

14 Cumq; graui caput est afflictum vulnere, summum
Discrimen stupor, aut mens aliena, parit.

15 Qui post sanguineum sputum pus expuit æger,
Huic fit rara quidem difficilisq; salus.

16 Puris enim sputum tabes fluxusq; sequuntur:
Qui spuere ex toto desijt, emoritur.

17 Anceps fit iecoris grauis inflammatio casus,
Rupta vbi singultu verba loquentis erunt.

18 Si nimium vigilans patitur deliria mentis,
Distendi neruos conqueriturue, malum.

19 Post os nudatum sacer is qui dicitur ignis,
Res est indicio perniciosa suo.

20 Postq; ignem sacrum si suppuratio facta est,
Vel putredo, notis annumerato malis.

21 Ac vbi se moueant multùm super vlcera venæ,
Terrori magno est sanguinis effluuium.

22 Longus quandò dolor tota desæuit in aluo:
Suppuratur ibi, mors nisi præripiat.

23 Impermiſta quibus fuerit deiectio ventris,
Non paruum incutiunt tormina facta metum.

24 Os cum præciſum eſt capitis, ſi attingat inane:
Sanæ iſtinc mentis magna ruina venit.

25 Ex medicamenti potu diſtentio nata
Neruorum, certum ducit ad interitum.

26 Corporis extremas partes frigeſcere tutum
Non eſt, cùm fortis ſit tibi ventre dolor.

27 Cum deſidendi grauidæ ſit ſæpè voluntas
Nec quicq̃ excernat venter, abortus erit.

28 Aut os, aut chondrum, neruum vel vulnere cæſum,
Augeri aut iterum poſſe coire negant.

29 Cui totum impleuit corpus lymphaticus error,
Finitur multùm ventre fluente ſibi.

30 Si ſpumans id ſit quod fuſa excernitur aluo,
E cerebro certum eſt quòd pituita fluit.

31 Vrina inferiùs craſſam cum febre farinam
Si referat, longi tempora pone mali.

32 Quæ ſuprà tenuis ſua ſubſidentia bilis
Inſtar habet, morbum hæc arguit ancipitem.

33 Æqualis quæ non ex omni parte videtur,
Fit perturbati corporis indicium.

34 Sin videas bullas ſuprema parte natantes,
Renalem morbum crede, nec eſſe breuem.

35 Sic ſublimis adeps pendens ſi plurimus exit,
Renalem morbum narrat, eumq́ grauem.

36 Sin muſclis circa ſpinam dolor accidat, ijsdem
Quas renum vitij diximus antè notis,
Abſceſſum fieri certum eſt: qui intrinſecus annè
Extrà ſit, docet hoc muſculus ipſe dolens.

37 Tutior eſt quicunq́ vomit ſine febre cruorem:
Sin adſit febris, ſpes propè nulla ſubeſt.
Quod verò adſtringit necnon refrigerat, illi
Quantamcunq́ poteſt, fert medicamen opem.

38 Decidat in ſummum ſi diſtillatio ventrem,
In pus viceno vertitur illa die.

39 Sententia hæc antè poſita eſt. 80 par. 4.

40 Vel ſubitò ereptas voces ſtupefactaue membra
Corporis, ex atra ſurgere bile liquet.

41 Maxima ſingultus ſenibus diſcrimina gignit,
Ex medicamenti vi ſuperante modum.

42 Copia feruentis capiti ſuperaddita lymphæ, eſt
Omnis præterq̃ ex bile medela febris.

43 Nulla per infirmas audita eſt fæmina vires
Ambarum manuum dexteritate frui.

44 Pus quod in abſceſſu ſecto exuſtoue coiuit
Purum albumq́ fluens, ſigna ſalutis habet.
Impurum, maleolens, nigrum referensq́ cruorem,
Adferet infirmis exitiale malum.

45 Si ex iecoris vomica pus purum fertur & album,
In tunica vitium eſt, nec dubitanda ſalus.
Sin nigram erumpens pus repræſentet amurcam,
Spes nulla: horribili mors premit atra pede.

46 Lumina quãdò dolent, poſt balnea & hauſta meraca
Vina, ſtatim vena eſt percutienda tibi.

{47 48 49} habebantur {35 36 37} par. 6.

50 Corruptum cui ſit cerebrum, tribus ille diebus
Occidit: exactis his, metus omnis abeſt.

51 Sternutamentum ex capite eſt feruente cerebro,
Aut humore eius qui per inane fluit.
Et ſonitum reddit, quòd qui intus clauditur aër
Per ſtrictas exit difficilesq; vias.

52 Immenſum iecoris febris poſt orta dolorem
Tollit, & hoc flàtus diſcutiendo facit.

53. ponitur. 47. Par. 6.

54 Queis pituita inter ſeptum ventremq; dolorem
Concluſa intulerit, nec patet indè ſibi
Exitus: ij morbum fugiunt, locá non per aperta
Verſa ad veſicam ſi pituita meat.

55 Fertur ad omentum ſi quæ iecur hydatis ambit,
Æger diſtento ventre peribit aqua.

56 Si premat anxietas, tremor, aut ſæpè oſcitet æger:
Morbum mixta vndæ pars leuat æqua meri.

57. eſt 82. par. 4.

58 Quauis ex cauſa cerebri concuſſio mutos
Efficit, & reliquis ſenſibus expoliat.

59 Abſtinuiſſe decet, nimium quibus humida membra:
Humida deſiccat corpora nempè fames.

Reliqui omnes aut ſpurij ſunt, aut antè ab Hippocrate poſiti.

FINIS.

nos spasmatos et dictos remollit et || et vanis et fastidio oris deterşit et immac

lesarit · confricat mon[illegible] [illegible] || [illegible]

Ad̄ de morte
insbor.

de the
[illegible]

[illegible] magna [illegible] in partibus [illegible]
ia ad p̄ti gall[illegible] cor̄ et ā fit [illegible]
duas alterum [illegible] maximi 5 vini p pas-
ni ad minui quinat̄ huius igitur x.
digitos ne alii nisi qui sciant · fructa
n grandes et i pena sollicitat effitiat q̄ im̄
arbor q̄ m̄e vepres c rubes densis
simos signi̅ et ca no cum mag̃ dif
ficultate iacall[illegible] m̄ omni tolia at

[illegible] tempus [illegible] c [illegible] meliorem [illegible]
sapientia ē ḡssius sapiens quantitas [illegible]
ē q̄r color · p̄o n · cum dulcis de [illegible]
liest · tamen magis et illa p̄s maye
ē sal · p̄q magis p̄o laudabiliter est [illegible]
bea · quamq v̄q sal ē candida · sta
aci a vinulis corrodit et calidit et [illegible]
acuit [illegible] sive sive mollia et inducit
amaritudine corticis et [illegible] · p bat · n ·
calida ai ā iacens p adde [illegible]

[illegible]
9
[illegible]

alias [illegible] dicitur. de cedro [illegible]
fructo palme [illegible] similitu. psalmista de quo
iste c(edrus) dicitur sit dicat. Est m(agis) arbor quod
nomen modica [illegible] in cedrorum terra similis
asperitas q(uod) agrestis agrestia vel cedro-
nulla e(st) dicta eo q(uod) eius pomi odore t(ra)
[illegible] eadem pomi videatur et eius sapore
imitatur ut dicat ysi(dorus) li. xvii. Cuius p(ro)p(ter)
arboris pomum ut dicat ysi(dorus) citrum est
[illegible] et e(st) arbor ut dicat ibi q(ui) i(n)

[illegible] dicitur [illegible]
C[ed]us p(er) ysi. l. vii. c. xvi. e(st) arbor i(n)
egypto [illegible] falsa [illegible] vir-
dis et [illegible] in semine
candida et odorifera quod sicut alias coc-
tu fuerit aut confectum. exprimitur in unguen-
tum regum et odoriferum et summe delicosum
et carius est. Ut dicat ysi. l. xvii. et
glo. [illegible] [illegible] [illegible] quod opere [illegible]
[illegible] arbor [illegible] in egipto [illegible]